



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Prolegomena sex, & duos priores libros De Necessitate Divinæ
Gratiæ Ad Honesta Opera

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1620

Cap. XIII. Vtrum ad amandum Deum amore concupiscentiæ, vt est
summum bonum, & commodum hominis amantis, sit auxilium gratiæ
necessarium?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94086](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94086)

portet. Sperare enim à Deo aliquod bonum, vel præmium, si absolute sumatur, non excedit naturales vires rationis, aut voluntatis humanæ. Qui enim per rationem naturalem cognouerit Deum habere prouidentiam rerum humanarum, & præmium aliquod pro bonis operibus esse redditurum, & poenam pro malis, potest sperare à Deo aliquod præmium honestæ vitæ, sicut potest etiam naturaliter poenam timere. Illa autem spes solum est in Deo, & auctore naturæ, & non tam fundatur in promissione eius, quam in sapientia, prudentia, iustitia, vel bonitate eius.

16.
Declaratur
amplius.

Qui autem fide humana credit, Deum præmium supernaturale pro meritis, & auxilia ad bene operandum, & gratiam ad remissionem peccatorum obtinendam promississe; quamuis possit hæc sperare humana, & acquisita spe, nihilominus sicut non amat illa bona, vt supernaturalia sunt, ita nec tendit ad illa, vt supernaturaliter possibilia, sed vt possibilia simpliciter, & confusè, quasi præfundendo à modo, quod sunt possibilia, quia vires naturæ non ultra extenduntur. Imò licet quis per fidem infusam credat, obiectum sperandum esse possibile per virtutem diuinam superantem ordinem naturæ; nihilominus si solo naturali affectu voluntas in illud obiectum sic propositum feratur, non nititur in Deo vt auctore supernaturali, sed tantum vt est causa à qua habet tale obiectum, vt sit possibile, & similiter non fundatur in promissione eius, vt mouere potest ex sola Dei auctoritate ad fidendum in illa, sed quatenus adiunctis humanis coniecturis, constituit illud obiectum in ratione futuri, vel absolute, vel sub conditione aliqua. Vnde fit, vt talis spes nunquam sit tam certa, & firma, quantum esse debet Christiana spes, quia vel non supponit certitudinem fidei in intellectu, à qua debet spes suā certitudinem, & firmitatem mutuari, vel quia licet in homine fidei illa certitudo supponatur in intellectu, voluntas naturaliter sperando illi fidei non conformatur ad quatem, sed tantum secundum quandam communem rationem fidei in illa fundatur. Vnde verisimilius est, etiam hominem fidelem eo tempore, quo tantum humano modo sperat, non vt actu fide infusa ad iudicandum de bonis sperandis, sed humano etiam modo illa considerare, & credere. Denique ex alio etiam capite deficit omnis spes acquisita à perfectione infusæ, quia licet esse possit absoluta, & efficax circa aliquod particulare bonum, non tamen circa omnia, & præsertim circa supernaturalem beatitudinem consequendam, & circa Deum, vt est obiectum eius, vt in sequenti capite commodius explicabo.

CAPVT XIII.

Utrum ad amandum Deum amore concupiscentiæ, ut est summum bonum, & commodum hominis amanti, sit auxilium gratiæ necessarium?

1. **H**oc dubium non inuenio ab Scholasticis peculiariter motum, sed communiter idem iudicare videntur de hoc amore, quod de spe, quia vel vnum actum cum alio confundunt, vt Maior in 3. d. 26. & alij, vel quia sentiunt, spem oriri ex amore concupiscentiæ, vt D. Thomas, Scotus, & alij infra referendi. Nihilominus tamen quidam grauis author modernus distinguendo amorem concupiscentiæ Dei ab spe, & amore charitatis eiusdem Dei, & bene sentiendo, actum spei, sicut & charitatis, esse supernaturales in substantia, de amore concupiscentiæ Dei, etiam vt est bonum supernaturaliter beatificans hominem, dicit esse actum naturalem, & acquisitum, ad quem non indiget voluntas habitu infuso. Cuius sententiæ hæc fundamenta ex auctore tantum elicio.

Primum est, quia amor ille concupiscentiæ Dei, est

amor amicitiae, seu beneuolentiæ hominis ad se ipsum, sed amor sui est naturalis; ergo etiam ille amor concupiscentiæ Dei naturalis est. Maior constat ex illa doctrina vulgari, quod amare, teste Aristotele, est velle alicui bonum. Ideoque in amore duo distinguenda esse, scilicet bonum, quod volo, & personam, cui volo, & respectu boni amari dicitur amor concupiscentiæ, respectu vero personæ, cui amatur, dicitur amicitia. Vnde sub hac ratione amor amicitiae, & concupiscentiæ non sunt duo actus, vel duo amores, sed idem amor secundum duos respectus, quamuis in alio sensu amor amicitiae, & concupiscentiæ re ipsa distinguantur respectu eiusdem personæ, nam si illam amem, vt cui bonum volo, est amicitia, si verò eandem diligam mihi, vt bonum meum, est amor concupiscentiæ eiusdem personæ, licet respectu mei, cui illud bonum volo, sit amicitia, vel proprius loquendo, beneuolentia. Hoc ergo modo in præfati amor, qui est concupiscentiæ ad Deum, est amicitia ad se ipsum. Constat autem amorem sui esse maxime naturalem, quia oritur ex naturali coplacentia, quam vnusquisque habet ad se ipsum, quæ maxime naturalis est; ergo. Confirmatur, quia amor Dei distinguitur ab omnibus in naturalem, & supernaturalem, sed amor supernaturalis ad Deum, est amor amicitiae, quia est amor charitatis, nec potest amicitia ad Deum esse naturalis; ergo per amorem naturalem intelligendus est amor concupiscentiæ.

Secundum principale fundamentum esse potest, quia si amor concupiscentiæ ad Deum esset supernaturalis, postulare virtutem infusam, à qua eliceretur, nam eadem esset ratio de illo actu, quæ de ceteris, nulla autem talis virtus nobis infunditur. Quia si aliqua esset, profectò esset Theologalis, quia immediate attingeret Deum, amando illum nobis; non est autem fides, vt per se constat, nec charitas, quia amor amicitiae Dei distinguitur specie, & quasi genere ab amore concupiscentiæ; nec est spes, ergo vel est quarta virtus theologalis, quod repugnat Paulo 1. Cor. 13. dicenti: *Nunc autem manent tria hæc, &c.* vel nulla est talis virtus infusa, & consequenter nec actus eius supernaturalis est.

Supereff solum probandum, illam virtutem non esse spem. Quod probatur primò, quia amor, & spes sunt actus omnino distincti. Secundò, quia in actu spei est specialis difficultas, ratione cuius necessaria est virtus spei, quæ difficultas in amore concupiscentiæ non reperitur. Nam spes respicit beatitudinem, vt est postea probatum, bonum arduum consequendum virtute diuina, & ita de se non habet, quod sit supernaturalis ex eo, quod speratur, sed ex eo, à quo speratur, sc. a Deo supernaturaliter operante. Quæ ratio cessat in amore, quia amor non versatur circa Deum, vt ab ipso futura est consecutio beatitudinis, vel alius boni, sed præcisè vt circa re concupitā nobis conuenientē, quæ maxime naturale est, & in tali actu, nec inuenitur formalis ratio habitus spei, nec vlla ratio, ob quam sit supernaturalis. Tertiò, quia amor concupiscentiæ in beatitudine permanebit, & tamen ibi non erit habitus spei, à quo elici possit. Quare, quia si amor concupiscentiæ esset actus elicitus à virtute spei, per contrarium actum, v. g. per odium, vel nolitionem absolutam supernaturalem beatitudinis, amitteretur virtus spei, quia virtus infusa per vnum actum contrarium amittitur; consequens autem est falsum, quia cum illo odio, vel nolitione stat, non desperare de beatitudinis consecutione, & spes iuxta communem sententiam solum per desperationem perditur.

Denique dictus author, ne videatur nimium tribuere libero arbitrio, addit, licet hic actus amoris in se, & substantia sua naturalis sit, nihilominus non possit fieri sine gratia mouente. Quæ autem sit hæc gratia mouens, vel qua ratione dicatur esse necessaria ad actum aliquem naturalem, dictus author non declarat. Videtur autem in iuxta sua principia per gratiam mouentem intelligere cognitionem congruam natura-

C. XIII. Vtr. ad amandū Deū, amore concupiscētiæ, vt est summū bonū, &c. 403

Iem eiusdem ordinis cum ipso amore, quamuis reuelationem, & doctrinam supponat. Ratio autem illi⁹ necessitatis erit, quia ille actus amoris de se bonus est, ideoq. fieri non potest sine cogitatione cōgrua, & honesta, sic enim de alijs actibus bonis, & naturalibus citatus auctor censet, neq. in præsenti maiorem, vel specialem rationem gratiæ declarat. Bannez 2.2. q. 17. art. 8. in assertione conuenit, dicens hunc amorem esse naturalem; licet spes in illo fundata sit ab speciali auxilio: vnde sentit amorē non esse absq. speciali gratiæ auxilio:

6. Nihilominus dicendum cenſeo, amore concupiscētiæ Dei, vt est supremum bonum nostrum in ratione obiecti beatifici, esse actum per se infusum, & eiusdem ordinis cum alijs actibus virtutum Theologiarum. Hæc videtur esse communis sententiā Theologorum, quam in primis sumo ex D. Thom. 2.2. q. 17. art. 8. vbi posita distinctione duplicis amoris Dei, amicitie, & concupiscētiæ, dicit: prior pertinet ad charitatem, sed spes pertinet ad secundum amorem; quia ille, qui sperat, aliquid sibi obtinere intendit. Et in solut. ad 2. dicit, spem provenire ex amore concupiscētiæ; ergo planē sentit, amorem hunc esse eiusdem ordinis cum spe, tum quia non potest actus infusus per se provenire ex habitu naturali, & acquisito, nec amor naturalis esse potest principium spei supernaturalis. Vnde nulla conuenienti ratione dici potest spes infusa ad amorē acquisitum, seu naturalem pertinere. Similem doctrinam habet D. Thomas quæst. de Spe, seu 4. de virtutib. art. 3. in corpore, & in pluribus argumentorum solutionib. Quæ loca cū multis alijs congerit Cap. in 3. d. 26. a. 3. ad 1. & 2. vbi idem sentit de amore concupiscētiæ Dei, quod de spe. Et eodem modo loquuntur ibi Theologi, omnes enim docent, spem ad amorem concupiscētiæ pertinere. Imò aliqui dicunt, esse ipsum, amorem concupiscētiæ Dei, vt Maior in 3. d. 26. q. 2. & post quæstionem secundam, in dubio illi adiuncto. Nec dissentit Gabr. ibi. Vnde necesse est, vt illi dicant amorem concupiscētiæ esse infusum, cum id non possint de spe negare, & eundem actum esse sentiant. Cæteri verò, qui illos distinguunt, saltē dicunt, spem ad amorem concupiscētiæ pertinere, vel in illo fundari, in quo etiam eiusdem ordinis esse supponunt.

7. Simili modo Theologi in 4. dist. 49. gaudium, seu fruitionem de præsentiā, seu possessione Dei per visionem beatificam eiusdem ordinis esse censent cum ipsa visione supernaturali. Vnde aliqui putant, esse etiā de essentia illius beatitudinis, vt Richard. ibi. art. 1. q. 6. & in solut. ad 4. addit, etiam ipsum amorem concupiscētiæ Dei esse de essentia illius beatitudinis, quā fuisse aliorum opinionem refert ibi Bassol. q. 2. art. 3. quam ille omnino non rejicit. Alij verò omnes saltem censent, gaudium illud esse proprietatem intrinsecē consequentem illam beatitudinem, & necessariam ad perfectionem, & statum quasi intrinsecum eius, sicut loquitur D. Tho. 1.2. q. 4. art. 1. & ibi expostores, & alij Theologi in 4. d. 29. siue vtantur nomine delectationis, aut gaudij, siue fruitionis, & tamen omnes etiam dicūt, illud gaudium pertinere ad amorem concupiscētiæ, quem propterea censent, esse etiam necessarium in illa beatitudine, siue sit idem cum gaudio, siue proxima causa eius. Vnde etiam supponunt esse infusum, & eiusdem ordinis cū ipsa supernaturali beatitudine. Specialiter verò hanc sententiam docuit Medin. 1.2. q. 62. art. 4. in ultimo dub. 5. Denique. Vbi dicit, hunc amorem ex diuino auxilio procedere, sicut pia affectio voluntatis est donū Dei.

8. Ratio à priori huius veritatis est, quia obiectum huius amoris etiam est supernaturale, & vt tale amatur illo amore; ergo vt amor ille proportionatus sit, & perfectus intra suum genus, oportet, vt sit supernaturalis, & eiusdem ordinis cum supernaturali beatitudine, ac proinde per se infusus. Maior patet, quia obiectum illius amoris est Deus, vt est beatitudo ho-

minis obiectiua, respectu illius beatitudinis formalis, quæ in clara Dei visione consistit; ergo sicut visio ipsa est supernaturalis, ita etiam Deus vt obiectum eius est obiectum supernaturale. Respondent aliqui, esse obiectum supernaturale respectu visionis, non verò respectu amoris concupiscētiæ. Sed hoc non rectē dicitur, tum quia etiam ipsa visio est formalis perfectio supernaturalis hominis; ergo si respectu visionis est Deus supernaturale obiectum, etiam vt est summum hominis bonum, est supernaturale bonum eiusdem hominis; ergo etiam respectu amoris concupiscētiæ est obiectum supernaturale, quia est obiectum, quatenus est bonum, & cōueniens amanti; ergo si vt bonum illius est supernaturale, & ipsa ratio, ob quam est illi cōueniens, est etiam supernaturalis, quia visionem claram inuoluit, etiam in ratione obiecti amabilis est supernaturale. Tum etiam quia ipsa visio beata eo ipso, quod est supernaturalis in se, vt in consecutione, seu effectione sua, etiam est supernaturalis in ratione obiecti appetibilis, & ideo fieri non potest, vt naturalis appetitus in illam feratur, vt probabilior opinio Theologorum fert.

Dices, id esse verum de appetitu innato, & metaphorico, non verò de appetitu elicitō, nam posita cognitione talis visionis, & persuasionē, quod sit possibile, homo naturaliter illam potest appetere, & desiderare, & ita in ratione appetibilis ipsa est obiectum naturale. Respōdeo, ideo additā esse in nostra ratione minorem propositionem, in qua subsumitur fermōnem esse de amore perfecto in suo ordine, & proportionato tali obiecto, vt supernaturale est. Nam licet fortē beatitudo illa, vel visio Dei, posita homini, naturali actu elicitō possit ab illo aliquo modo appeti, non tamen amore absoluto efficaci, & perfecto, sed ad summum simplici quodam affectu, & desiderio, quia non potest ille amor esse talis per vires naturæ, vt moueat hominem efficaciter ad querendum illud bonum, cum per naturales vires queri non possit. Vnde etiam fit, vt ille naturalis appetitus elicitus, licet materialiter tendat in visionem beatā, non tamen illam vt supernaturalem attingat, sed sub quadam communi ratione boni, & commodi proprii, quasi confundendo illam cum beatitudine in communi, quia non potest naturalis appetitus suis viribus altius assurgere. At vero amor, de quo in præsenti loquimur, esse debet amor proportionatus illi obiecto vt supernaturali bono summo per fidem cognitō, & sub illa ratione specifica, & propria illud attingens. Quia licet non sit necesse, supernaturalitatem talis beatitudinis, quasi formaliter, & in actu signato considerare, oportet tamen excellentiam illius beatitudinis ita apprehendere, vt virtute saltem, & quasi in actu exercito secundum propriam rationem, qua supernaturalis est, consideretur, & amanda voluntati proponatur. Ac deinde loquimur præcipue de amore perfecto in suo ordine, hoc est, absoluto, & efficaci, qui virtute includat propositum seruandi omnia necessaria ad illum amorem, quod valde excedit vires naturales voluntatis, vt mox explicabimus, ergo Deus vt sic amabilis, est obiectum superioris ordinis, & amor illi proportionatus est eiusdem ordinis, & infusus.

A posteriori vero potest hæc ratio, & assertio varijs modis confirmari ex his, quæ referendo Theologos attigimus. Primo, quia hic amor, si sit efficax, & perfectus, generat, & inducit spem, & e contrario spes intrinsecē supponit hunc amorē, quia non speratur, nisi quod amatur, sicut nō timetur, nisi q. fugitur, seu odio habetur. Sed amor merē acquisitus, & naturalis non potest erigere animū ad motū spei perfectum, & infusum, quia illa est dependentia essentialis, & per se, & ideo debet seruari proportio inter actus. Sicut naturalis motus intentionis alicuius finis non potest mouere ad supernaturalem electionem mediorum, & assensus naturalis alicuius principij non potest gene-

Enasio non satisfaci.

Obiectio.

Dilutio.

10. Probat. 9. varijs modis à posteriori. Prima.

Confirmatur

fare assensum fidei infusæ, & sic de alijs. Optimeque confirmatur ex dictis de voluntate credendi, quæ esse supernaturalem, & infusam, supra ex doctrina Conciliorum ostendimus, & inter alias reddidimus rationem, quia naturalis voluntas non possit mouere intellectum ad assensum supernaturalem; ergo similiter in presenti, cum spes per se supponat amorem concupiscentiæ boni sperati, & ab illo procedat, non potest amor ille esse merè naturalis, & acquisitus, nam talis amor nullo modo potest ad spem infusam, & supernaturalem sufficientem mouere.

11.
Secunda.

Secundo hic amor Dei, licet non sit tam perfectus, sicut amor amicitiae, & comparatione illius, non sit ita super omnia, sicut est ille, nihilominus est super omnia concupiscibilia, quia in eo genere est vltimum, & maximum bonum, vt dixit D. Th. in 4. d. 49. q. 1. art. 2. quæstionum. 1. ad 3. & Bonauent. in 3. d. 26. art. 2. q. 3. & in superiori lib. tractando de amore Dei c. 25. & 26. in fine ostendi, etiam amorem concupiscentiæ Dei esse super omnia, & includere virtute obseruationis omnium, quæ ad consequendam beatitudinem necessaria sunt. Ergo talis amor est supra vires naturales voluntatis. Simili enim ratione in præcedenti lib. c. 25. & 26. conclusimus, non posse hominem in natura lapsa diligere super omnia, etiam amore concupiscentiæ perfecto, Deum vt auctorem naturæ sine auxilio gratiæ, quia talis amor, etiam virtute includit obseruantiam omnium præceptorum naturalium. In presenti autem hic amor includit virtute obseruantiam omnium præceptorum, etiam supernaturalium, nam sine illa non potest hic amor esse absolutus, & perfectus. Cui enim hic amor vniat hominem Deo vt obiecto sui vltimæ, & supernaturalis felicitatis; si absolutus & perfectus sit, necesse est, vt virtute includat affectum ad media etiam supernaturalia, vel cuiuscunque ordinis sunt. Ergo ad talem actum non solum est necessarium auxilium gratiæ, sed etiam actus ipse est per se supernaturalis ordinis gratiæ, cum per se ad supernaturalia obiecta, & præcepta se extendat.

12.
Tertia ab
exemplo de
gaudio.

Tertio sumitur optimum argumentum a gaudio ad amorem. Nam gaudium de Deo duplex est, sicut & amor: vnum, quo gaudemus de bonis, vel quæ Deus in se habet, vel quæ ad illius honorem quouis modo pertinent. Et hoc est gaudium amicitiae, quod à charitate manat, & sine vlla dubitatione supernaturalis est, & per se infusus. Aliud est gaudium de Deo, vt est bonum nostrum, & à nobis aliquo modo possessum, quod erit perfectum in patria, & in via potest esse inchoatum; & hoc gaudium ad amorem concupiscentiæ pertinet, quia est de bono proprio. Hinc ergo sumitur ratio, nam hoc etiam gaudium in Deo, & de Deo est ordinis supernaturalis; ergo etiam ipse amor concupiscentiæ Dei supernaturalis est. Consequentia est euident, quia in hoc gaudio multo magis possunt procedere rationes sententiæ contrariæ, quam in amore; quia etiam pertinet ad amorem sui, cum sit de proprio commodo, & in eo cessare videtur difficultas, & arduitas, quæ est in spe, & alioqui non habet obiectum magis supernaturale, quam amor concupiscentiæ eiusdem Dei. Quod vero ad antecedens spectat, de gaudio, & fruitione patriæ, id profecto sentiunt omnes Theologi supra allegati, & de beatitudine scribentes, supponunt enim gaudium illud, quod naturaliter id est, necessario, & connaturaliter sequitur ex visione, & amore Dei, esse supernaturale, & eiusdem ordinis cum ipsa visione. Et nihilominus explicant, gaudium illud non solum esse amicitiae de bonis in se, sed etiam concupiscentiæ de propria commoditate, & perfectione. Hæc vero duo gaudia esse distincta, & ex diuersis principijs manare, disertè docet D. Thomas 2. 2. q. 28. art. 1. ad 3. & 1. 2. q. 4. art. 2. & 3. explicans delectationem beatorum, potissimè loquitur de delectatione, quam habent ex eo, quod Deum ipsum possideant, & clarè videant, quæ est delectatio proprii commodi, ac subinde ex amore concupi-

Gaudium
amicitiæ, &
concupiscentiæ
distin-
guuntur.

scientiæ Dei proueniens. Quod autem ad gaudium vix spectat, D. Thomas in dicta solutio. ad 3. illud tribuit spei. Affirmauerat enim gaudium esse effectum charitatis, in contrariumque obiecerat verba Pauli ad Rom. 12. *Spei gaudentes*, & respondet, duplex esse Dei gaudium, vnum de bonis Dei in se, & hoc esse charitatis effectum, aliud de bono diuino, prout à nobis participatur, & hoc dicit procedere ex spe, per quam speramus diuini boni fruitionem. Ergo vtrumque gaudium sentit esse infusum, & proportionatum virtuti infusæ, à qua procedit, & ad hoc gaudium nos excitat Christus Matth. 6. dicens, *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in celis.*

Quarto non minus efficax argumentum ex æquiparatione spei ad timorem gehennæ, vel amissionis beatitudinis sumi potest. Timor enim inferni, seu amittendi supernaturalem beatitudinem, actus est supernaturalis ordinis; ergo etiam amor illius beatitudinis, seu Dei, vt est summum bonum nostrum, est actus eiusdem ordinis, & infusus. Antecedens sumitur ex Concil. Trid. sess. 6. c. 6. vbi inter dispositiones ad iustificacionem numerat timorem diuinæ iustitiæ, quo peccatores vititer concutiantur, per diuinæ gratiæ auxilium, & ex sess. 14. cap. 4. vbi docet, attritionem ex metu gehennæ conceptam, Dei donum esse, & ex Spiritu S. impulsu, & hominem ad remissionem peccati obtinendam præparare, vel remotè extra sacramentum, vel proximè respectu sacramenti poenitentia. Vbi Concilium directè docet, attritionem ipsam, quæ est talis dolor de peccatis, esse Dei donum, & ex Spiritu S. impulsu, vtique infuso, & supernaturali, nam iuxta vsum Conciliorum hoc significat illa verba, *Dei donum, & Spiritus S. impulsus*. Vnde consequenter, & à fortiori tradit, timorem gehennæ, qui est principium talis doloris esse similiter Dei donum, & ex Spiritu S. impulsu, sicut in priori loco iam significauerat, sentit ergo illum timorem actum infusum, & supernaturalis ordinis esse. Consequentia vero probatur, quia timor gehennæ, vt est infusus, & supernaturalis, præcipue nititur in amore eiusdem beatitudinis supernaturalis, illud enim timor homo amittet, quod amat, vt dixit D. Thom. 2. 2. q. 19. artic. 3. ex Augustino lib. 83. quæstionum in 33. vnde quatenus ille timor est de malo proprio, ad amorem concupiscentiæ contrarij boni pertinet, & in illo fundatur, ac proinde sub hac ratione pertinet ad amorem sui, vt docet idem D. Thom. d. q. 19. artic. 6. & notauit Bonauent. in 3. d. 29. artic. 2. q. 3. ad 4. Ergo si hoc non obstat, quominus hic timor infusus sit, multo magis amor, ex quo nascitur, erit infusus. Patet consequentia, tum quia propter quod vnumquodque tale, & illud magis, tum etiam quia ille amor est quasi proprius, & connaturalis principium talis timoris, non potest autem effectus excellentioris ordinis esse, quam causa. Vnde rectè dixit D. Thomas dicto articulo. 6. *eiusdem rationis esse, quod homo cupiat proprium bonum, & quod timeat eo priuari.*

Vltimo argumentari possumus ex effectu meriti, nam hic amor est sufficiens principium meriti, vel de condigno, si sit in persona grata, vel saltem de congruo, si sit in peccatore; ergo signum est, obiectum, & motiuum illius actus esse supernaturale, ac subinde actum ipsum esse infusum, & supernaturalis ordinis. Consequentia probatur, quia vt actus sit meritorius supernaturalis præmij, seu mercedis, necesse est, vt ex motiuo aliquo, vel fine supernaturali fiat, vel imperetur, vt in libro vltimo huius materie ostendimus, & nunc breuiter intelligi potest ex illa sententia libri de Ecclesiastic. dogmat. ca. 64. *Melior est continentia (vtrique quam nuptia) sed non sibi sufficit ad beatitudinem, si pro solo amore pulcritudinis retinetur, sed si & cum affectu causa vacandi Domino eligatur.* Eademque ratio est de alijs humanis actibus, vt dixit D. Thomas in 3. distinct. 26. quæst. 2. articulo. 1. ad 5. Qui tamen, si fiant ex amore mercenario (vt sic dicà) beatitudinis æternæ, & propter illam comparandam, meritorij erunt, signum

Gaudium
concupiscentiæ
distin-
guuntur.13.
Quarta ab
exemplo de
timore gehennæ.Con
tra
esse
gaudioAd
dic
per
sanNe
ess
gruAd
Pa14.
Vltimæ
rationis no
tati.Ex
pro
prie
ratio
signu

C. XIII. Vtr. ad amandū Deū, amore concupiscētiæ, vt est summū bonū, &c. 405.

signum ergo est, amorem illum, & finem supernaturalem esse. Assumptum probatur ex illo Psalm. 118. *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas, propter retributionem.* Quod maximè intelligendum est de retributione æterna. Nam pro hac retributione laborantes mercenarij laudantur, vt dixit D. Th. 1. Cor. 3. lect. 2. in principio, ponderans verba filij prodigi, *Quasi mercenarij in domo Patris mei abundat panibus, &c.* Luc. 15. quæ factio pater probauit. Et euidentius id colligitur ex parabola vineæ Matth. 20. Imò de Moysē id laudauit Paulus, cum de illo dixit ad Heb. 11. *Aspiciebas n. in remunerationem, & Christus Dominus Matth. 5. hoc etiam motiuo nos allicit ad ferendas huius vite tribulationes, dicens. Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in celis.* Ergo signum est, illud motiuum & honestissimum esse, & supernaturale, ac diuinum, & ad meritum eiusdem mercedis sufficiens, si aliqui persona sit grata Deo, si verò sit in peccato, erit aliquis dispositio, & impetratorum meritum. Nam si dolor de peccato ex timore inferni, est dispositio ad gratiam, quomodo dolor de peccato ex amore beatitudinis, etiam mercenario, seu concupiscētiæ non erit melior dispositio, licet imperfecta respectu contritionis perfectæ? Et similiter elemosyna facta à peccatore intuitu obtinendi à Deo auxilium ad vitam mutadam, etiam si faciat illam ex timore Dei, erit aliquale meritum diuine misericordie, & auxilij: ergo idem erit, si fiat ex amore propriæ felicitatis supernaturalis: hic ergo amor supernaturalis est, & per se ad ordinem gratiæ spectans.

15. Ex quibus omnibus concludimus, amorem hunc esse in specie, ac entitate sua supernaturalem, sicut est actus spei, hoc enim necessarium est, vt sit actus ordinis supernaturalis, & per se infusus; imò hæc verba idem aliter, & aliter significat ad eandem rem melius explicadam. Vnde idem probant omnes rationes adductæ tam ex obiecto, quam ex effectibus huius amoris, & ex alijs coniecturis. Ac deniq; hinc concluditur, hunc gratiam ad hunc actum necessarium esse gratiæ auxilium, nõ per accidens, propter aliquam difficultatem extrinsecus aduenientem, sed per se, propter dignitatem actus, & obiecti eius, sicut in spe explicatum est, neq; est necessaria alia probatio, quia consecutio est per se manifesta. Vnde facile reijcitur, quod de cogitatione cõgrua dicebatur, quia satis in lib. 1. ostensum est, cogitationem naturalem ex eo solùm, quod sit congrua in ordine ad naturalem actionem, non esse gratiam propriè dictam, multoq; minus esse auxilium gratiæ, & idè perinde est, dicere, ad hunc amorem solùm requiri gratiam consistentem in cogitatione cõgrua naturali, ac dicere, nullam gratiam esse ad illum actum necessariam, quod quàm sit falsum, constat ex dictis.

Ad hunc actum gratiam ad hunc actum necessarium esse gratiæ auxilium, nõ per accidens, propter aliquam difficultatem extrinsecus aduenientem, sed per se, propter dignitatem actus, & obiecti eius, sicut in spe explicatum est, neq; est necessaria alia probatio, quia consecutio est per se manifesta. Vnde facile reijcitur, quod de cogitatione cõgrua dicebatur, quia satis in lib. 1. ostensum est, cogitationem naturalem ex eo solùm, quod sit congrua in ordine ad naturalem actionem, non esse gratiam propriè dictam, multoq; minus esse auxilium gratiæ, & idè perinde est, dicere, ad hunc amorem solùm requiri gratiam consistentem in cogitatione cõgrua naturali, ac dicere, nullam gratiam esse ad illum actum necessariam, quod quàm sit falsum, constat ex dictis.

16. Ad primum ergo fundamentum contrariæ sententiæ concedimus, hunc amorem concupiscētiæ Dei, seu beatitudinis, esse amorem beneuolentiæ sui ipsi, dicimus aut amorem sui in homine non solum posse esse honestum, sed etiam supernaturalem, & huiusmodi esse beneuolentiam illam, qua mihi volo Deū, vt felicitatis supernaturalis obiectum est. Sicut mater cum efficaciter desiderat filio æternam felicitatē, supernaturaliter mouetur, quia licet illud desiderium sit ex amore concupiscētiæ ad felicitatem æternā, & ex beneuolentia ad filium, nihilominus illa beneuolentia supernaturalis est, quia est de obiecto, & supernaturali motiuo, à quo species actus sumitur: Sic ergo in præfati amor, quo sibi aliquis vult tantum, ac tale bonum, licet sit amor beneuolentiæ sui, supernaturalis est, quia non est potens natura ad se diligendum tam perfectò amore, & quia species amoris non sumitur ex persona, cui bonum diligitur, sed ex bono, quod illi concupiscitur.

17. Ad probationem autē, quæ ibi insinuat, quia ille amor prouenit ex complacentia sui, respondeo, quod variis sensus posse habere verba illa, ideoque distinctione opus esse. Aut enim est sensus, illam complacentiam sui esse actum naturalem amoris ad seipsū,

quo aliquis sibi complacet in bono suæ naturæ, distinctum ab illo actu, quo sibi amat Deum, & priorē illo, & ab isto actu procedere dictum Dei amorem: & in hoc sensu falsa est propositio, quia talis complacentia sui non necessariò præcedit omnem amorem concupiscētiæ, qui ad amantem per modum beneuolentiæ terminatur; ergo nõ est, cur fingamus, præcedere amorem cõcupiscētiæ Dei. Consequētia per se clara est, donec specialis ratio differētiæ assignetur, quod arbitror fieri non posse. Antecedens autē probatur inductione; nam amor, quo quis sibi concupiscit sanitatem, cõcupiscētiæ est respectu sanitatis, & beneuolentiæ ad se: ille autem amor non supponit aliam complacentiam sui, sed ipsemet est quædam complacentia, vel in sanitate, vt sibi cõueniente, vel in se, vt sanitate affecto. Idem est in amore illius amicitie, vel ob vtilitatem, vel ob voluptatem, in vtraq; enim diligitur amicus amore concupiscētiæ, nam ipse amans sibi vult amicū, & ita se per beneuolentiam eodem actu amat, & tamen ille amor non supponit aliā complacentiam sui, vt potest eodē modo declarari, & videtur vsu ipso notum. Vnde neq; Aristot. neq; alius author talem actum priorem necessarium esse dixit. Idēq; est de amore naturali, quo possumus nobis diligere Deum vt creatorem, conseruatorem, vel finē nostrum in bonum nostrum, & naturæ proportionatū.

Ratio autem generalis est, quia omnis complacentia sui, si est verus actus amoris beneuolentiæ ipsiusmet amantis, necessariò esse debet amor concupiscētiæ alicuius boni, quod quis sibi velit, quia amare aliq; est velle illi bonum, teste Arist. 2. Rhetor. cap. 4. & idè in omni amore est aliquid amatum amore concupiscētiæ, & aliquid amore beneuolentiæ, seu amicitie, vt est communis doctrina cum D. Thoma 1. 2. q. 26. artic. 4. licet hæc interdum re distinguantur, vt in exemplis adductis constat, interdum ratione, vt patet in amore Dei propter intrinsecam bonitatem, quam in se habet. Si ergo amor concupiscētiæ Dei supponit alium actum complacentiæ sui, qui sit verus amor sui, necesse est in illo declarare, quod nã sit bonum, quod homo sibi vult, & in quo sibi complacet: nam vel illud est bonum supernaturale, & ita de illa etiam dicetur, supponere aliam complacentiam sui, & sic procedetur sine termino: nam si in illo sistatur, quia supernaturalis amor est, talem esse nos dicimus, amorem concupiscētiæ Dei, vt author est gratiæ, & finis supernaturalis, idè esse primum in illo ordine, quia est facilius, & minus perfectus, & nulla est ratio, cur supponat alium. Vel bonum illud est naturale, & illud solum cogitari potest, quod sit ipsa naturalis perfectio animæ, & potentiarum eius, quia omne aliud bonum naturale est impertinens ad fundandum amorem Dei, hoc autem videtur necessariò supponi, vt natura capax sit altioris, & excellentioris boni, quod est Deus. Veruntamen licet hoc bonum nature necessariò supponatur, vt fundamentum gratiæ, possitque homo in illo complacere amore naturali, priusquàm sibi amet Deum, nihilominus nec ille amor naturalis per proprium actum elicitem necessariò est; vt homo possit Deum sibi amare, neq; etiam si cõingat, illum amorem sui prius haberi, ex illo sequi potest amor Dei, vt supernaturale bonum est, cū sub ea ratione habeat necessariam cõnexionem cum bono naturæ. Est ergo ille amor impertinens, & interdum impedire potest amorem altioris Dei, si inordinatus sit, & homo nimis complacere in seipso: aliquando vero potest remorē, & quasi per occasionē iuuare, quatenus ex illo amore naturali sui moderato, & recto potest quis allici ad maiorem suæ naturæ perfectionem generatim, & in vniuersali. Quæ affectio licet nõ sufficiat, vt possit natura per se assurgere ad amandum sibi Deum, sicut oportet, quodammodo verò reddit illam magis capacem, vt facilius eleuari possit. Loquendo ergo absolute, & simpliciter,

18.

Ostenditur à priori. Amor beneuolentiæ est concupiscētiæ continuatur.

ter, hic amor concupiscentiæ Dei primus est in suo ordine, nullumque alium amorem elicitem supponit, vel necessarium, vt ipse eliciatur, vel à quo ipse necessario fiat, & ita propositio illa in dicto sensu falsa est, vel impertinens.

Si autem in illa propositione esset sermo, non de complacentia elicitæ, sed metaphorica, id est, de appetitu innato, quo vnusquisque ad bonum suum naturaliter propensus est, sic verum esset, hanc complacentiam, vel dilectionem sui supponi ad omnem amorem concupiscentiæ cuiuscunque boni, quod homo per proprium actum elicitem appetit: quia appetitus elicitus supponit naturalem, seu metaphorice, sicut operatio supponit naturam. Hinc tamen non sequitur, omnem amorem sui elicitem esse actum naturalem, si per illum aliquis sibi velit bonum supernaturale, quia prior ille amor naturalis, metaphorice, & per impulsu naturalem non extenditur ad appetendum illo modo bonum supernaturale, quod tale est, & ideo amor elicitus talis boni non pronuncitur ex priori appetitu innato tanquam à proprio principio, ac proinde non est eiusdem ordinis cum illo, licet supponat illum tanquam fundamentum remotionis eo modo, quo gratia supponit naturam, vel quo inclinatio ad particulare bonum supponit propensionem ad communem rationem boni in bono particulari inclusam.

Ad confirmationem illi primo fundamento additam respondemus ex supra dictis, amorem Dei non distinguere in amorem naturalem & supernaturalem, propter amorem concupiscentiæ, & amicitiam, nam illa diuisio prior est, & in vtroque amore locum habet. Nam in libro præcedenti ostendimus, dari amorem amicitiam, seu beneuolentiæ Dei naturalem, & capite sequenti ostendimus, dari etiam supernaturalem. De concupiscentia verò clarius est, posse hominem naturaliter sibi diligere Deum vt bonum sibi necessarium, tam vt sit, & viuatur, quam vt bene sit, & beate intra ordinem naturæ viuatur: quauis hunc etiam amorem non possit homo in natura lapsa habere perfectum sine aliquo Dei auxilio, vt superiori libro ostendimus.

Vltra hunc verò amorem datur in homine ad supernaturalem finem eleuato consideratio Dei, vt finis supernaturalis est, & vt author supernaturalium donorum, & huic statui dicimus correspondere alium excellentiorē amorem concupiscentiæ Dei supernaturalem, & obiecto suo proportionatum. Hic enim amor, licet per comparisonem ad amorem charitatis dici soleat imperfectus, in se, & specie sua, ac gradu est valde perfectus, cum virtute includat intentionem efficacem consequendi salutem, & æternam vitam, quæ valde supernaturalis est.

In secundo principali argumento petebatur, à quo principio supernaturali, vel à qua virtute infusa hic actus producatur. Ad quod potest quispiam respondere, non esse necessarium, vt procedat ab aliquo habitu infuso, vel principio permanente, sed satis esse, quod procedat ab auxilio Dei mouentis supernaturaliter. Quod aliqui ita confirmant: nam hic amor concupiscentiæ Dei continetur sub communi ratione desiderij proprii commodi, sed ad hoc desiderium nullus habitus est necessarius, ergo nec ad illum amorem oportet dari habitum, etiam si supernaturalis sit. Sed hæc responsio admitti non potest, quia licet actus supernaturalis per auxilium solum possit interdum fieri, non tamen connaturali modo, nec per principium intrinsecum, quæ est vnica ratio (seclusa auctoritate) ad ponendos alios habitus infusos operatiuos; non est autem minor ratio in hoc actu, quam in cæteris. Quia (vt dicebam) licet hic amor imperfectus sit comparatione amoris charitatis; nihilominus in suo genere est valde perfectus, & supernaturalis, & ad proficiendum in sanctitate utilis; imò iuxta humanam fragilitatem necessarius. Cum ergo voluntas ex se sit improporcionata ad hunc amorem,

cur per habitum infusum non disponetur, & fiet principium aptum ad illum elicendum? Nec confirmatio quidquam in contrarium suadet; quia licet amor proprii commodi possit abstrahi secundum rationem communem à commodo naturali, & supernaturali, & ex ea parte, qua illa ratio communis in naturali commodo inuenitur, possit esse naturalis, & fortasse ad illum non sit necessarius habitus. Nihilominus quando eleuatur ad supernaturale bonum, quatenus tale est, diligendum, iam affectus est supernaturalis, & ideo ad illum necessarius est eiusdem ordinis habitus.

Aliter responderi potest, hunc amorem elici ab habitu charitatis. Quam sententiā indicat Bonaventura, in 3. d. 27. art. 2. q. 2. vbi dicit, ad effectum charitatis spectare non tantum amare Deum amore amicitiam, sed etiam concupiscentiam. Quia frui est amore inherere, & consistat, quod frui Deo, est per charitatem. Unde concludit, posse amorem charitatis esse mercenarium mercede æterna, id est, operari propter mercedem æternam, esse actum charitatis. Et potest hoc suaderi, quia charitas ex charitate amatur, teste D. Thoma 2. 2. q. 25. art. 2. sed amare charitatem, est amor concupiscentiæ, quia charitas est perfectio amantis, & ita amare charitatem sibi, est amare bonum suum; ergo amor concupiscentiæ in spiritualibus bonis est amor charitatis; ergo multo magis amor beatitudinis supernaturalis, & ipsius Dei vt obiecti beatifici.

Sed hæc sententia licet in aliquo sensu vera esse possit, non tamen sufficit ad satisfaciendum difficultati propositæ. Duobus enim modis potest quis amare sibi beatitudinem: vno modo in suum commodum, seu vt est bonum sibi, ita vt hæc sit proxima ratio amandi tale bonum, & hic est proprius amor concupiscentiæ, specie distinctus ab amore charitatis. Alio modo potest quis amare sibi beatitudinem immediate, & proximè propter gloriam Dei, & vt illum tanquam amicum præsentem habeat, & gaudeat de bonis eius. Et hic amor, licet materialiter (vt ita dicam) possit denominari concupiscentiæ, respectu boni beatitudinis, quod quis sibi amat, formaliter verò, & quoad motiuum est amor amicitiam. De hoc ergo posteriori amore amicitiam rectè dicitur esse actum charitatis, quia ex formali motiuo eius elicitur, & tale erat desiderium Pauli ad Philip. desiderantis dissolui, & esse cum Christo. Hic verò non de hoc amore concupiscentiæ tractamus, sed de priori amore, qui non tantum materialiter, sed etiam ex motiuo formaliter concupiscentia. Ille ergo amor nullo modo potest esse elicitus à charitate, cum non habeatur ex eius motiuo, nec ad amicitiam Dei pertineat. Et ob eandem rationem amor mei cenarius non est elicitus à charitate, quia est formalis concupiscentia, & ideo operari inuiti retributionis æternæ, ad spem potius, quam ad charitatem pertinet, vt attigi rom. 4. de Poen. dif. 5. sect. 2. in fine. Et simili modo distinguenda est duplex fruitio diuina, seu beatifica, quædam est gaudium de bonis Dei, vt sunt perfectiones eius in se, & hoc gaudium est fruitio charitatis. Alia est fruitio de beatitudine, de qua beatus tanquam de propria perfectione gaudet, & hæc non est charitatis, sed alterius virtutis, nam ad amorem concupiscentiæ pertinet, vt docet D. Thom. 2. 2. q. 28. art. 1. ad 3. & Scot. 3. d. 34. q. vnic. §. Hu suppositis veris. De donis, in fine veris.

Respondeo igitur, hunc amorem concupiscentiæ, de quo tractamus, esse elicitem ab eadem virtute, à qua elicitur actus spei supernaturalis. Ita dixi in 1. to. 3. part. q. 7. art. 4. Et probatur, quia ille amor est actus Theologicus (vt sic dicam) id est, attingens Deum, vt obiectum Quod & Quo; ergo ad aliquam virtutem Theologicam pertinet; sed non ad fidem, vt per se patet; neq; ad charitatem, vt dictum est; ergo ad spem: nam fingere quartam virtutem Theologicam valde temerarium esset. Secundo; nam spes ex amore concupiscentiæ nascitur, vt dictum est; ergo vtique actus ex eodem habitu profluit, quia non potest habitus dare

19.
Prob. 1. in
2. sensu ad-
mittitur, no-
tamen rem
conficit.

20.
Ad confir-
mationem
in eodem 2.

Amor con-
cupiscentia
in natural.
& supernat.
partitur.

21.
Ad 2. fund.
in nu. 3. quo-
rundam so-
lutio.

Reicitur.
Ad hunc
actum neces-
sarius est
habitus.

Dilectio
concupiscentia

21.
Alia q. 11.
Bonauent.

D. Thom.

22.
Expendit
et resp.

Philos.
Amor for-
malis con-
cupiscentia
à charitate
non elicitur

D. Thom.
2. 2.

24.

Veris solutio

Amor con-

cupiscentia

supernat.

1. to. 3. part.

q. 7. art. 4.

Et probatur,

quia ille amor

est actus

Theologicus

(vt sic dicam)

id est, attingens

Deum, vt

obiectum

dare facultatem, & facilitatem operandi posteriorē actum, nisi eam ad priorem conferat, & e conuerso dando facultatem ad actum priorem, qui est radix alterius, cōsequenter illam ad actum cōsequenter praeberet. Et hinc etiam est, vt species etiam gaudeamus, quia hoc gaudium ex spe nascitur, vt supra dictum est cum D. Th. dist. q. 28. ar. 1. ad 3. Ex quo loco optimē colligitur nostra sententia: nam sine dubio eadem est ratio in amore, quā est in gaudio. Potestq; confirmari ex alijs, quā in citato loco 3. part. adduxi.

25. Neq; contra hoc obstant rationes in principio positae. Ad primam n. respondetur, licet amor, & spes sint actus specie distincti, esse ita subordinatos inter se in ordine ad idem formale obiectum, vt ad eundem habitum pertineant, sicut de amore, & gaudio constat. Ad secundam respondetur primò, esto in actu amoris non sit omnis difficultas, quā est in actu spei, nihilominus reperiri difficultatem, quā nascitur ex supernaturalitate actus, quā sufficit, vt ad illum sit necessaria virtus infusa, & aliudē conuenire cum spe in habitudine ad idem bonum sub eadem ratione boni, & hoc satis esse, vt ad eundem habitum pertineant; licet in modo tendendi differant. Secundo addimus, difficultatem illam, quā in spe cernitur ex eo, quod sperat bonum per auxilium Dei, suo etiā modo participari ab amore concupiscentiā, quia tēdit in illud bonum, vt sibi possibile, alioqui non posset esse amor efficax, & perfectus: non potest autem bonum illud rectē existimari possibile, nisi in ordine ad potētiam, & beneuolentiam Dei. Ad tertiam dico, habitum spei non manere in patria formaliter sub ratione spei, id est, vt sit principium sperandi beatitudinem possēsā, manere autem vt sit principium amandi hoc amore, & fruendi gaudio illi proportionato: nam hi actus honestissimi sunt, & illi statui nō repugnant, & principium connaturale postulant. Ad quartā, quod spes amitteretur per odium vel nolitionem beatitudinis, primò negari potest sequela, quia nō est necesse, spem amitti per quemlibet actum contrarium; non enim destruitur per praeuentionem. Secundo verò dico, satis probabile esse, per tale odium, vel nolitionem beatitudinis fore spem destruentē, quia & hominem reddit incapacem ad sperandum, & virtute includit desperationē, aut vix potest ab illa separari, quia per illud odium voluntas totaliter recedit à Deo, vt sibi bono, & cōsequenter desperat rendere in ipsum. Sed hoc in propria materia ex professo tractandum est: nam in praesenti parum refert, quod ille habitus, qui est spes, per hunc, vel illum actum amittatur.

CAPVT XIV.

Vtrum ad amandum Deum, vt supernaturalem finem, & gratiae auctorem perfecta dilectione amictia, auxilium gratiae per se, & propter speciem, & excellentiam talis amoris sit necessariū?

1. Quamuis resolutio huius quaestionis ex dictis in praecedenti clara videatur, nihilominus ad complementum materiae tractanda est, & vt nonnulla ratio dubitandi, quā adhuc superest, dissoluatur. Est autem difficultas, quia supra dictum est, posse hominem viribus naturae non impediri, seu non lapsae diligere Deum auctorem naturae amore amicitiae, seu volendo illi summam bonitatem propter ipsum, ergo etiam vt author gratiae potest sic amari per easdē naturae vires, per se loquendo, & quantum est ex natura talis actus. Probatur consequentia, primò, quia obiectum, quod magis bonum representatur, eò magis attrahit voluntatem, & consequenter facilius amatur: Deus autem vt author gratiae, vel non sub minori ratione boni proponitur, vel certē quodammodo sub maiori, nostro modo apprehendendi, quia eius bonitas proponitur vt pluribus, & maioribus beneficijs manifestata, quam dum apprehenditur solum, vt author naturae; ergo voluntas facilius poterit illum

naturaliter diligere propter se ipsum sub illa excellēti ratione propositum, quam inferiori. Secundo, quia motuum amandi Deum vno, vel alio modo representatum, idem reuera est, & modi illi sunt accidentarij respectu substantiae amoris, ergo amores etiam erunt eiusdem naturae, & substantiae; ergo si vnus est naturalis, etiam alter. Tertiò potest hoc declarari, quia videns Deum clarē, etiam illi denegatur auxilium ad amandum illum supernaturaliter, si detur ei generalis concursus, diligit Deum amore naturali propter bonitatem ipsius, prout in se est; quia ita illū videt; ergo amabit ex eodem motiuo, ex quo diligeret cum auxilio supernaturali; ergo eodem actu secundum substantiam; ergo per se ad talem actum nō est necessarium gratiae auxilium. Vnde oritur ista difficultas, quia si ad talem amorem esset necessarium auxilium gratiae propter motiuū, sub quo obiectum amatur, ad quemlibet actum charitatis, quamuis imperfectum, esset gratia necessaria: consequens est falsum, quia talis amor esse potest in peccatore, & magna facilitate concipitur; ergo.

Nihilominus veritas catholica in primis est, non posse hominem lapsū diligere super omnia Deum auctorem gratiae, & salutis amore amicitiae, & propter se ipsum, sine supernaturali auxilio gratiae. Probat, quia talis amor est illius charitatis, de qua dixit Paulus Rom. 5. Diffundit in cordibus nostris per Spiritum sanctum, & ad Galat. 5. In Christo Iesu neq; circumcisi aliquid valet, neq; praeputium, sed fides, quae per charitatem operatur. Et infra inter fructus Spiritus primum locū tribuit charitati, dicens: Fructus autem Spiritus est charitas, de quo fructu intelligitur maximē illa Christi sententia Ioan. 15. Sicut palmas non possit ferre fructum, & semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis. Quamquam enim nomine fructuum rectē ibi intelligantur opera Deo placita, & ipsum meritoria, vt Augustinus ibi tract. 81. Chrysostom. Hom. 75. & Cyrill. lib. 10. cap. 14. notarunt. Tamen quia inter opera, quae ex fide procedunt, excellentius est charitas, iuxta illud 1. Corinth. 12. Excellentiorē viam vobis demonstrā, idē ille fructus, de quo loquitur Christus, maximē intelligitur, esse charitas, sine qua cetera nullius fructus esse possunt, & quae est radix omnium bonorum fructuum, & maior ceteris, & teste eodem Paulo 1. Corinth. 12. vt rectē ponderauit Augustinus tract. 32. in Ioan. in fine. Denique ob hanc causam dixit Ioannes 1. epistol. cap. 4. charitatem esse ex Deo, vt egregiē ponderat August. lib. 1. de Gratia Christi cap. 21.

Habetur etiam hae veritas ex traditione Pontificum, Conciliorum, & Patrum. Ex Pontificibus praecipui sunt Innocent. & Coelestinus in epistolis saepe allegatis, praeter illa, quae generatim contra Pelagianos ex alijs Pontificibus Prolegom. 6. c. 1. retulimus. Ex Concilijs, Mileuitan. cap. 4. sic inquit: Cum dicat Apostolus, sententia inflat, charitas verò adspicit, valde impium est, vt credamus ad eam, quae inflat, nos habere gratia Christi, & ad eam, quae adspicit, non habere. Cum vtrumque sit Dei donum, & scire quid facere debeamus, & diligere, vt faciamus, vt adspiciant charitate, sententia non possit inflare. Quae sententia sumpta videtur ex Augustino libro de Gratia Christi cap. 26. & libr. 4. contra duas epist. Pelagianor. cap. 5. Concilium etiam Araucanum in omnibus ferē suis decretis hanc veritatem in generalibus definitionibus tradit, specialiter verò in cap. 25. ex quo aliqua verba in sequenti capite ponderabimus. Expressius verò, quam cetera, Concilium Tridentin. sess. 6. cap. 3. definiuit, neminem posse diligere Deum, sicut oportet, sine praeuentione Spiritus sancti in inspiratione, eiusque adiutorio: nullus enim amor esse potest, sicut oportet, quam ille, qui tendit in Deum, vt supernaturalis beatitudinis obiectum, propter se ipsum, & perfectē, ac super omnia. Ex Patribus autem praecipuē videndus est Augustinus in locis allegatis, & alijs generaliter allatis in lib. 1. pro necessitate gratiae ad bene operandū: nam in eis omnibus